

DIE XIV. NOVEMBRIS.

S. JOSAPHAT EPISCOPI ET MARTYRIS.

*Introitus.*

Gaudéamus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honore beáti Jósaphat Mártyris; de cuius passióne gáudent Angeli, et colláudant Fílium Dei.

*Ps. 32.* Exultátē justi in Dómino: rectos decet collaudátio.

¶ Glória Patri...

*ORATIO.*

Excita, quæsumus Dómine, in Ecclésia tua Spíritum, quo replétus beátus Jósaphat Mártyr et Póntifex tuus, ánimam suam pro óvibus pósuit: ut, eo intercedénte, nos quoque eódem Spíritu moti ac roboráti, ánimam nostram pro frátribus pónere non vereáimur. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem Spíritus.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. *Hebr. 5.*

Fratres: Omnis póntifex ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerrat dona, et sacrificia pro pecáatis: qui condolére possit iis, qui ignórant et errant: quóniam et ipse circúmdatus est in s̄mitáte: et proptérea de-

bét, quemádmodum pro pópulo, ita étiam et pro seme-tíso offérre pro peccátis. Nec quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur a Deo, tamquam Aaron. Sic et Christus non semetípsum clarificávit ut póntifex fieret: sed qui locútus est ad eum: Fílius meus es tu, ego hódie géri te. Quemádmodum et in álio loco dicit: Tu es sacérdos in aetérnum, secúndum órdinem Melchísedeeh.

*Graduale.* *Ps. 88.* Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum; manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum. ¶ Nihil proficiet inimícus in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei. Allelúa, allelúa. ¶ Hie est sacérdos, quem coronávit Dóminus. Allelúa.

*Tempore Pascháli.*

Allelúa, allelúa. ¶ *Ps. 88.* Confitebúntur cœli mirabília tua, Dómine: étenim veritátem tuam in ecclésia sanctórum. Allelúa.

¶ *Ps. 20.* Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretioso. Allelúa.

*Post Septuagésimam  
omissis Alleluia, et versu se-  
quénti dicitur:*

*Tractus. Ps. 20.* Desidé-  
rium animæ ejus tribuisti ei:  
et voluntate labiorum ejus  
non fraudasti eum.

v. Quóniam prævenisti eum  
in benedictiónibus dulcédinis.

y. Posuisti in cápite ejus  
corónam de lápide pretioso.

† Sequéntia santi Evan-  
gélii secúndum Joánnem.

*Joan. 10.*

In illo tempore: Dixit Jesus Pharisæis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Mercenarius autem, et qui non est pastor, cuius non sunt oves própriæ, videt lupum veniéntem, et dimittit oves, et fugit: et lupus rapit, et dispérgit oves: mercenarius autem fugit, quia merce- narius est, et non pertinet ad eum de óvibus. Ego sum pas- tor bonus: et cognósco meas, et cognoscunt me meæ. Sicut novit me Pater, et ego agnós-

co Patrem: et ánimam meam pono pro óvibus meis. Et alias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovili: et illas opórtet me adducere, et voceni meam áudient, et fiet unum ovile, et unus pàstor.

*Offertórium. Joan. 15.* Ma-  
jorem charitatem nemo ha-  
bet, ut ánimam suam ponat  
quis pro amicis suis.


*Secréta.*


Clementissime Deus, mún-  
nera hæc tua benedictiōne  
perfunde, et nos in fide con-  
firma: quam sanctus Jósa-  
phat Mártyr et Póntifex tuus,  
effuso sanguine, adséruit. Per  
Dóminum...

*Commúnio. Joan. 10.* Ego  
sum pastor bonus, et cognós-  
co oves meas, et cognoscunt  
me meæ.

*Postcommúnio.*


Spíritum, Dómine, fortitú-  
dinis hæc nobis tribuat men-  
sa cœlestis: quæ sancti Jósa-  
phat Mártyris tui atque Pon-  
tificis vitam pro Ecclésiæ  
honore jùgiter aluit ad victó-  
riam. Per Dóminum...














A 54/2